



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Rosarium Canisij salubre parturientibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ministraret, ægrè animam ducere, ac reciprocare
 posset. Medicamenta quæcunq; tentaret, omnia
 cadebant in irritum. Quam ob rem vicem viri
 dolens Barbara Misselonia vxor, veritaq; ne tan-
 dem offensis intestinis partibus ad periculosas
 veniendum sectiones esset, cum sibi Canisium
 protinus ab excessu patronum in cælo cooptaf-
 set, ad eius tumulum adit. Hic prouoluta in ge-
 nua multum ipsum rogat patronum, vt apud
 Deum commendatam viri valetudinem habeat,
 perq; patrocinium eiusdem ac merita ipsum ob-
 testatur Deum, opem vt ægro ferat. Ab precibus
 domum recta contendit. Reuertentem lætus, &
 gratulabundus vir excipit, iam sedatos dolores:
 iam expeditam respirandi viam, iam se penitus
 valere. Nihil dubitauit prudens femina benigni-
 tate id euenisse Patroni sui Canisij, vt prorsus tem-
 pore eodem, dum ipsa vota faceret, vir conualef-
 ceret. Ac deinde rem omnem coram testibus a-
 pud Veronium eo tempore & Præpositum Fri-
 burgensem, & Vicarium generalem in Diocesi
 tota Lausanensi sancte, riteq; affirmavit.

Alterum iam diem honesta Matrona difficul-
 tate partus laborabat magno salutis suæ, magno

Rosarium Canisij salubre parturientibus.

Ec 2

prolis

prolis discrimine. Ad eam Canisij Rosarium fertur: quod simul ac exosculata de collo suspendit, in has voces erupit, Deo sit laus, quam extinctam verebar prolem, viuere sentio: & paulo post stirpem virilem salua saluam enititur. Inde cœpit rosarium illud magna fide à parturientibus peti, & præsens experiuntur leuamen. Ad sanitatem animi illud beneficium pertinet.

Viduata viro femina in ætate florenti transfudit curam omnem ad pietatem: permissuq; Canisij, quo vtebatur à confessionibus, perpetuam inde castimoniam Deo vouit. Sublatæ ex humanis Patre atq; Magistro vndiq; cœpta sollicitari, vt nuptias nouas iniret. Illa constanter semel, iterum, sæpius repulit tentamenta omnia, memor fidei obligatæ Numini. Deinde partim labare, partim molestissimis vexari curis, & confici; quoad requiem nullam inuenienti succurrit ad veterem animi sui rectorem, & custodem fidissimū P. Canisium habere perfugium. Adit sepulchrum: vix conceperat preces, cum & firmata mire constantia est, & insidiosarum ille cogitationum edax tumultus confedit. Eadem & in languore corporis, cui nullam inuenerant opem medentes; & cum
 ossis

ossis fragmen inter vesendum (& forte erat sola) pertinaciter hæssisset in faucibus, & suffocaret, in Canisij inuocatione præsens auxilium inuenit.

Est Friburgi vulgaris opinio, rogatum sub extrema Canisium, vt à pestifera lue, qua crebro affligi consueuerat, tutari oppidum vellet, eumque recepisse facturum: qua pollicitatione vehementer Friburgenses confidunt. Ex eo certe tempore, quamuis in proximo grassata sit, non ausam tamen in oppidū inuehi, aut palam vulgari, grati ciues commemorant. Ceterum anno seculi huius duodecimo res fertur memorabilis euenisse: quam, quia alij vulgarunt, & Friburgensis Magistratus autoritate tabulis consignatam testantur, præterire non licet. Gliscebat, opinor, suspicio clam serpentis pestilentia. Ea se contactam sentiens Berenmanæ Matronæ nobilis famula, rogauit quasdam de famulantibus vna secum feminis, vt ad se confessionis causa sacerdotem accirent. Illæ veritæ, ne si res vulgaretur, domus tanquam pestilens notaretur, abstinendum ab ea vocatione putarunt. Ægra cum diu frustra expectasset, metuens ne in expiata moreretur, multa anxie versabat animo, cū memoria subit in D. Nicolai

fitum Patrem esse (nomen non succurrebat) quē
 periculis, & calamitatibus deprehensi inuocare
 ciues solerent: illicoq; vouet, si vita sibi maneret,
 quoad sacræ confessionis fieret compos, ad tu-
 mulum adituram, & precibus inibi perfuneturā.
 Vix votum conceperat, cum dolor & capitis, &
 pectoris sedatur, & pestiferum vlcus euanescit.
 Surgit itaque è grabato, & ad famularia se munia
 refert inter alias ancillas: quæ cum modò mori-
 bundam, momento validam viderent, more in-
 genij humani in deterius suspicacis, irridere cœ-
 perunt, tanquam morbum ex ignauia simulaf-
 set. Sedenim & ipsam incessit dubitatio, Canisij
 nec ne ope curata esset. Hæc dubitanti ecce tibi
 præsens perfidiæ poena, idem repentè vlcus exi-
 stit. Tum vero ita faucia trepide festinat ad tem-
 plum, prosternitur in preces, opem supplex im-
 plorat; eaq; fuit erga fidelem seruum suum, eiusq;
 clientes Dei clementia, vt rursus continuo
 malum abstergeretur. Ita honoran-
 tes se Deus honorat.

✠ (:) ✠

F I N I S.

STNO-